



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Septima. De Tactu, & tangibili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

IV. **Objectum Gustus,** seu Gustabile est sapor, qui est: *Qualitas realis orta ex temperie primarum qualitarum præ dominante humido, in qua potissimum invenitur siccitas terræ, seu terrestris, calor & humiditas, quod autem interveniat siccitas terrestris, patet experientia in rebus sapidis reperta, quæ sicca sunt sæpè, debet autem illa siccitas esse terræ & non ignis, quia hæc nimium tenuis est & subtilis, adeoq; citò evanescit, & sic parum apta est ad efficiendum gustum; Calorem verò necessarium esse inde liquet, quòd frigore sapor destruantur & definant, & quòd in partibus Aquilonaribus fructus & alia saporifera sint minus amabilia & dulcia, quia deficit multum calor naturalis Solis concoquens humidum & siccum, quæ se habent veluti materia. Quod tandem necessarium etiam sit humidum probat ratio, quòd tunc maxime res sapiant, quando Gustus tonillis & saliva ab iis producta humectatur, quas ob hanc proinde causam natura potissimum ordinasse videtur: Humidum autem sicco prædominari debere à pari vel potius à contrario sic probat, in odore prædominatur siccum; ergò in sapore prædominatur humidum, cum objecta horum sensuum à contrario sint distincta.*

V. **Species saporis** Aristoteles enumerat octo, nempe *Dulcem, Amarum, Pinguem, Salsum, Acrem, Acerbum, Acutum & Acidum; Dulcis* reperitur in ficibus, melle, &c. *Amarum* in bili, oppio, absynthio, &c. *Pinguum* in butyro, lacte, oleo; *Salsum* in sale & aqua marina: *Acer* in pipere & allio &c. *Acerbum* in fructibus immaturis, hic sapor alio nomine appellatur *Ponticus*, seu *Constringens* &c. *Acidum* in aceto & acerbis; *Acutum* in nasturtio, raphano, limonibus &c. Verum hoc notandum est, quòd hac enumeratione non obstante adhuc plures saporum subdivisiones fieri possunt, nam ipse Plinius his addit quinque alias species, verum etiam magis restringi potest si fiat divisio per generaliora & principaliora membra, quæ sunt dulce & amarum. Sapores autem ut probabilius deferuntur sine medio realiter & nõ per aliquas species intentionales. Sed

VI. **Quæres primò:** Cur dulcia ut ficus, saccharum, &c. magnopere noceant dentibus? Dulcia dentibus obesse quæq; curiosiores mulieres, quæ vel talibus abstinent, ut albedinem dentium conservent testantur & probant. Respondeo ergò hoc fieri ex eo, quòd dulcedo sat pinguis sit, quæ pinguedo facit dentibus adhæret & sic putrescit, causatq; illud nocumentum; Et fortè ratio moralis esse potest, ne homines dulcibus abusi, & ad amara & dura ob id ejecti tam facillè dulcibus inhiant. Unde mellifluus Bernardus ait Serm. 16. de diu: Quamlibet voluptatem sanitati nocere, verba ejus sunt: *Institatur enim voluptas sanitati, & tam subtili malignitate prosequitur, ut vix eam quis possit cavere, vel novem. Quòd si voluptati servitur & non sanitati, hæc jam de natura non est, sed sub natura, quæ morti manum dat, cum magistræ consuevit voluptatem.*

VII. **Quæres secundò:** Cur vina melius sapiant post manducationem casei, aut aliorum esculentorum acerbiorum? Respondeo id provenire, quia opposita juxta se posita magis clucescunt, sic apparet suavius vinum post duriora. *F. Amanadi Hermann Physica.*

rem & acerbiorum cibum, & requies gratior est post fastigationem & motum, quam fuerit antè, cum tamen in se melior non sit.

Quæres tertio: Cur aliqui homines quandoq; appetant res minùs consuetas esui & de se horridas, ut Cretam, Carbones? Respondeo hoc provenire ex vitio phantasia, quæ vehementer commovet & immutat humores & hoc patet inde, quòd audientibus nonnullis sermocinationes fieri de dulcibus saliva defluit in ore & intra dentes, hinc quia illi laborat tali phantasia, apprehendunt illa esse bona & suavia esse.

Quæres quarto: An omnia animalia sint sensu Gustus prædita? Aristoteles negat, verum respondeo omnia animantia habere Gustatum, & probo, nullum est animal, quod non haberet tactum; ergò nullum animal est, quod non haberet Gustum: antecedens patet; probatur consequentia, quia Gustus est prior in animali, quam sit tactus, ergò: probatur antecedens, ille sensus inest prior, qui est ordinatus ad conservandum subjectum, cui inest, sed Gustus est ordinatus ad conservandum animal, ergò: probatur minor, quia tactus à natura non est provivus animali nisi propter solam defensionem & contrariorum repulsionem, sed contrariorum repulsio est posterior ad propriam conservationem, ergò.

QUÆSTIO VII.

De Tactu & Tangibili.

Sensus hic in entitate sua quidem imperfectissimus est in examinatione tamen ejus, & declaratione vix non difficillimus, nam à tot annorum myriadibus, nec Grammatici, nec Philosophi reperti fuerunt, qui ejus objectum particulare nomine & prædicato baptizare voluerint, quotquot enim de tactu agunt, objectum dicunt esse tangibile, si tamen quærat quid sit esse tangibile, respondent esse, quòd à tactu percipi potest, quòd est rotundissimum committere circulum, ego hanc materiam brevitate solita enucleare & resolvere conabor. Pro quo

Notandum est primò, tactum multipliciter accipi posse, nam primò accipitur pro continuatione duorum corporum sic lapides duo sibi invicem superpositi dicuntur se tangere; secundò accipitur pro qualibet sensatione cujuslibet sensus ex eo, quòd per tendentiam in objectum suum illud attingat: tertio ad propositum nostrum accipitur pro sensu externo aliquo ex quinque, qui sit perceptivus primarum qualitarum, nempe frigoris, caloris, humiditatis & siccitatis &c. De quo imprimis quæritur in quonam organo resideat? secundò quasnam qualitates percipere possit? & tertio an unus sit sensus tactus, vel plures? quæ omnia sequentibus expediã Conclusionibus. Pro prima autem parte multiplex est sententia, nam Aristoteles videtur solum cor possuisse sensorium & organum tactus, quem sequitur Themistius: Galenus autem D. Thomas, Scotus &c. sentiunt sensorium tactus esse nervum intra carnem latentem; Averroës denique ait esse carnem; sed quamvis Scotus dicat sensorium tactus esse nervum, nondum tamen demonstratum est, quòd asseruerit esse solum nervum sicque explicari commodè potest,

VIII. *Homines aliqui insueti appetunt.*

IX. *Omnia animalia habent gustum.*

I. *Difficultas de Tactu.*

II. *Tactus multipliciter accipi potest.*

ut intelligatur de partiali organo, non verò de totali. Ideoq;

III.
Sensorium
tactus est
nervus &
caro.

Dico I. *Sensorium tactus consistere, nec in solo nervo, nec in sola carne, sed in utroq;* Ita Cœnimbricenses & Recentiores communiter, &

Probatur primò generaliter, quia illud est organum alicujus sensus in quo fiunt sensationes & operationes illius sensus, sed nec in carne sola, nec in solo nervo, sed in utroque fiunt sensationes tactus; ergò utrumq; erit organum & sensorium; major est certa, probatur minor, quia experientià constat, quòd non solum nervus sentiat primas qualitates, sed etiam ipsa caro, ergò. Per carnem autem intelligo hic tam membranam, quàm cutim & alia omnia quæcunque carni insunt & adhærent.

Probatur secundò, specialiter de nervo, quia nervus per se primò & immediatè continuatur cum sensorio sensus communis, sed organa potentiarum sic continuari debent, ergò nervus erit verè sensorium tactus; sed quòd non solum

Probatur, quia in hepate, corde, pulmonibus fiunt sensationes tactus, sed in illis nullus est nervus; ergò convenit etiam sensorium tactus, unde licet caro non continuetur immediatè cum organo & sensorio sensus communis continuatur tamen mediatè, quòd sufficit. Confirmatur ex eo, quòd in carne potissimè fiant delectationes & percipiuntur voluptates, ergò.

IV.

Dices: Si pellicula ovina, vel quæcunq; alia ponatur supra carnem eà mediante sentitur dolor & voluptas; ergò etiam licet sentiat dolor & voluptas mediante carne non dicendum est, quòd caro sit organum, sicut nec est pellicula interposita. Sed contra: Quando pellicula interponitur inter nervum & tangibile non sentitur dolor vel voluptas in pellicula, sed in aliquo alio, in carne verò ipsa sentitur tam dolor quàm voluptas, adeoq; nulla paritas.

V.

Probatur Conclusio tertio Authoritate Sanctorum Patrum, nam D. Augustinus lib. 3. Gen. lit. cap. 4. ait: *Tactus est quibus in sensibus, terrene elemento magis congruit, proinde per totum corpus animantis diffusus est: & Serm. 33. verb. Dom. ait: Tactus est in omnibus membris.* D. Bernardi Serm. 10. de diversis, ubi comparat amorem erga parentes tactui per ejus naturam hoc modo: *Demq; si considerare curiosus delectat, non in merito solum esse videtur primus, id est amor parentum, tactus convenit, quòd hic sensus sola proxima & corpori juncta percipiat, quemadmodum amor ille nulli exhibetur, nisi proximi carnis nostræ, sed nec illud discrepat à ratione similitudinis hic solus est sensus per corpus diffusus universum.* Sed si esset in aliqua determinata parte aut uno solo nervo non sic diffunderetur per totum corpus, ut probatum est, ergò. Imò autoritas melliflui non solum tactum in omnibus corporis partibus esse probat, verim etiam insinuat tactum fieri sine speciebus dum dicit: *Hunc sensum sola proxima & corpori juncta percipere.*

VI.
Objectum
tactus.

Tangibile, seu objectum tactus Divus Augustinus lib. 10. Confess. cap. 8. dicit esse

Durum, molle, calidum, frigidum, lenis, asperum, grave & leve; sive extrinsecum sive intrinsecum corpori. Quod scholastici omnes quoque docent, in totam difficultates movent, quomodo percipiuntur, an videlicet illæ solum, quæ sunt in objectis illis tactu perceptibilibus, an verò etiam quæ sunt in ipso subiecto & organo tactus, ad quas difficultates resolvendas

Dico 2. *Tactus percipit omnes qualitates illas in ipsis objectis existentes quantum est de se.* Hæc est Scoti in tertio & quarto d. 44. q. 3.

Probatur primò, de qualitatibus secundis, nam certum est, quòd dum palpamus ferrum & lanam sentiamus in illo esse duritiem, in hac molliem & sic de aliis, imò molliem & duritiem ipsius organi & subiecti non sentimus; ergò si illæ qualitates sunt objectu tangibilia erunt, quando non insunt ipsi subiecto & organo.

Probatur etiam de qualitatibus primis, percipiuntur per tactum qualitates secundæ in objecto existentes, ut dicebat & probatur per prima; ergò percipiuntur etiam qualitates primæ ab omnimoda paritate; Et confirmari potest, quia si aliquis esset ad focum & ignem vehementiorem, manusq; extenderet verisimiliter in manu; ergò percipit calorem in objecto existentem. Confirmatur secundo ex Doctore, qui dicit posse saltem de potentia Dei absolute separari actionem intentionalem à reali, ita ut objectum per tactum sentiat, nihil reale ipsi imprimendo, propterea futurum in damnatis post diem judicii, ubi eorum corpora patientur ab igne inferni, nec tamen aliquem calorem ab ipso impressum habebunt, alioquin recuperasset dispositiones corruptivas corporum.

Dices: In corporibus damstorum calor quidem produceretur, non tamen permittetur agere, ut corpora eorum destruat; ergò calor non sentietur objecti, sed ipsius organi. Sed respondeo cum Barone negando antecedens, videtur enim melius dici ignem non producere in ipsis alium ignem, aut calorem vehementem, quàm productum negare quin posset agere in illa corpora corrumpendo, quin facilius impeditur effectus cause efficientis, quàm formalis.

Dico 3. *Qualitates aliquæ ipsi animati organo insistentes sentiuntur etiam ab ipso.*

Probatur, quia si aliquis immitteret manum in nivem frigidissimam aut in aquam postquam eam exinde traheret & bene tergeret sentiret frigus in manu, sed non nivis vel aque; ergò frigus in ipso organo existens.

Probatur secundò, qualitas tangibilis ipsi organo inexistens est sensibilis per tactum; ergò ab ipso tactu percipi poterit; probatur consequentia, tum quia quicquid ab una potentia percipi potest, potest etiam ab alia ejusdem speciei, nisi obstat aliqua particularis ratio, sed omnes potentie tactive sunt ejusdem rationis nullumq; obstat impedimentum; ergò non modo ab alio tactu, sed etiam ab ipso esse percipi poterit.

Probatur

Probatur tertio: Quia si una manu tangam aliam vel uno digito alium, verbi gratia pollice indicem, nunc ego sentio mollitiem indicis non modo per pollicem, sed etiam per indicem ipsum, ergo sentiuntur qualitates ipsi objecto & organo inexistentes, idem est de duritie. Dixi in conclusione notanter aliqua, quia si omnes sentirentur, continua esset in organo sensatio. Ex quo ipso sic contra conclusionem

Arguitur: Si aliqua qualitates ipsi organo existentes sentirentur, continua fieret sensatio, sed certum est, quod non fiat continua sensatio in tactu, ergo qualitates aliqua non sentiuntur. Respondeo distinguendo majorem, continua fieret sensatio, si omnia ad sensationem producendam requisita adessent concedo majorem; si non semper adsint nego majorem cum consequentia concessa minore, itaque ut qualitates in organo existentes sentiantur requiritur primò, quod excedant debitam & connaturalem organi temperiem quod contingit in qualitatibus primis: Secundò debet fieri adhuc aliquis contactus inter ipsa organa, ut dixi de duobus digitis etiam ut sentiantur mollities vel durities in eo in quo est.

Instatur: In homine, verbi gratia, omnes partes tangunt se invicem continuò, sed isto contactu existente, etiam, non sentitur uniusvel alterius partis gravitas vel levitas, ergò ad sensationem producendam non sufficit iste contactus, aut si sufficit, sequitur unam partem gravitate continuò aliam, quod est contra manifestam experientiam. Sed Respondeo negando utramque consequentiam, Ratio est, quia partes in corpore humano, & quocunque alio licet in se habeant gravitatem vel levitatem, una pars tamen non sentit gravitatem alterius, licet continuò se invicem tangant, quia sunt in loco suo connaturali, ideoque non gravitant prout etiam dixi de elementis. Imò Respondeo secundò negando minorem, quia verè constat quòd gravitent, quod patet in continuò stantibus quorum pedes vehementer fatigantur, in multum sedentibus, qui posterioribus dolent, & in longis infirmitatibus dequibentibus quorum cutis ex nimio & continuo corporis pondere totaliter dederitur, &c. Sed contra primam Responsum

Urgetur: Os non est in loco suo naturali respectu carnis, nec caro respectu ossis, sed os, & caro se invicem tangunt, & tamen caro non sentit duritiem ossis, ergò contactus iste non sufficit ad faciendam sensationem, vel si sufficit caro semper debet sentire duritiem ossis, &c. Respondeo distinguendo minorem se invicem tangunt per simplicem assistentiam ad se invicem concedo minorem; per aliqualem compressionem nego minorem & consequentiam. Itaque ut sese aliqua duo secundum mollitiem vel duritiem sentiant, debent se aliquantulum comprimere, ut patet si duorum hominum maxilla, vel genæ ad se invicem leniter applicarentur non sentirent mollitiem suam statim, sed post modicam compressionem hæc enim percipitur quàm maximè cedendo.

Dico 4. Ut qualitates primæ percipiuntur à tactu, debent excedere eas quæ sunt in tactu secundum intensionem. Hæc melius probari non potest quàm experientia, quæ videmus, quòd manu calida non sentiamus calorem remissionem in alieno subjecto, & sic de pluribus aliis, ergò. Jam venio ad multiplicatam tactus explicandam. Pro qua

Dico 5. Pro omnibus qualitatibus externis tangibilibus sufficit unus sensus tactus. Hæc est conformis ad mentem Doctoris q. 1. de an. n. 4.

Probatur: Quia nec ratio, nec autoritas contrarium suadet, ergò: Non autoritas, nam licet Doctor subtilis citatus dicat tactum esse formaliter duos, intelligendus tamen est, respectu aliorum sensibilibus per tactum prout dicam conclusione sequenti. Et Aristoteles licet dicat in actu non esse objectum unum commune, non vult tamen negare quòd non sit unum objectum commune, sed quòd objectum illud commune non sit manifestum. Nec denique ratio contrarium suadet, quia si esset aliqua, maximè, quia unus sensus est unius contrarietatis, sed hæc ratio non est, ergò: Probatur minor, quia in aliis sensibus reperiuntur etiam hujusmodi contraria, nec tamen propterea multiplicantur sensus, ergò nec in tactu multiplicari debent: Probatur antecedens, quia visus percipit non modò nigredinem, sed etiam albedinem, imò color, & lux, & lumen sunt tam disparata objecta, quàm sit humidum & calidum. Item auditus percipit non tantum sonum gravem, sed etiam acutum, lenem, durum, &c. item gustus quàm plurimos eosque diversos sapes, ergò.

Probatur secundò: Ubi cunq; non sunt diversa organa, non possunt esse diversi sensus externi, nam sensus externus constituitur per determinatum organum, sed sensus tactus non habet diversa organa, ergò ipse non est multiplex: probatur minor, quia quidquid dicatur, quòd sit organum tactus, sive caro aut nervus est unum, ergò. Sed quia hæc ratio non convincit absolute intentum, nam lingua est unicum instrumentum & organum & tamen simul gustare potest & tangere, ideo pro magis confirmanda conclusione ex rationibus statim adducendis

Dico 6. Pro percipiendis dolore, voluptate, tranquillationibus, &c. & similibus si non sunt passionem appetituum particularium, vel unius sensus, bene pro illis assignatur alius tactus, qui hæc percipiat & non percipiat illa. Hæc similiter ex Scoto elicuntur. Et

Probatur: Plus distat dolor, voluptas, fames, sitis, &c. à caliditate, mollitie, & duritie, &c. quàm distat inter se sapor & tangibile seu dulcedo, amaritudo, &c. & caliditas, mollities, durities, &c. sed propter objecta hæc tam diversa admittuntur plures sensus, licet operationes fierent & fiant frequenter in eodem sensorio, ergò similiter alius sensus tactus admitti debet pro dolore, voluptate, fame, siti, ab illo, qui percipit humidum, siccum, calidum, frigidum, licet in eodem sensorio fiant.

Cccc 3 Proba-

XI.
Us sentiantur debent excedere existentes in tactu.

XII.
Pro qualitatibus externis sufficit unus tactus.

XIII.
Pro dolore, &c. de bet penia-
lium.

X.
Sic semper aliam re-
quisita ad
sensationem.

Gravitas non
sentitur in
ipso corpore
sed per
contactum
inter organa.

De simpliciter
in carnis.

Probatur secundò: Actio transiens & principium sic agendi distinctum est ab actione immanente & principio sic agendi, sed fames, sitis, dolor, &c. sunt actiones immanentes, & alteræ sunt actiones transientes, ergo etiam principia distinguuntur.

DISPUTATIO VI. DE SENSIBUS INTERNIS.

A à imperfectioribus ad perfectiora & à magis notis ad minus nota facio motum. **A** à sensibus scilicet externis ad internos, qui illos longe excellunt & superant, maxime, quia ad operationes intellectuales, & rationales accedunt, de quibus prinæ est

QUÆSTIO I.

An datur sensus communis cognoscitivus, & in quo consistat ejus organum?

I.
Quid intelligatur per sensum internum.

Per Sensum internum intelligo hic quandam facultatem internam ad quam tanquam ad centrum ab omnibus sensibus externis confluunt species objectorum sensibilium, & à quo vicissim communicantur sensibus externis spiritibus vitales, & animales ad suas operationes exercendas, ad quod cum omnibus

II.
Datur sensus internus cognoscitivus.

Dico I. Datur aliquis internus cognoscitivus distinctus à quinq; sensibus externis dictis & explicatis. Hæc est universalissima &

Probatur primò: Authoritate SS.

Patrum D. Augustini lib. 2. lib. orb. cap. 3. ait: Quid igitur ad quemcumq; sensum pertinet, & quid inter se, vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo exteriorum sensuum dijudicare? Nullo modo: sed quodam interiore ista dijudicantur. Ipsa ratio est, quæ bestiæ carent? Nam ut opinor ratione ista comprehendimus, & ita sese habere cognoscimus. Evod. Respondeo, magis nos arbitror ratione comprehendere esse interiorem quandam sensum, ad quem ab istis quinq; notissimis sensibus cuncta referuntur. Namq; aliud est, quo videt bestia, aliud quo ea quæ videndo sentit, vel vitat vel appetit: ille enim sensus in oculis est: ille autem intrus in ipsa anima, quo non solum ea quæ videntur, sed etiam quæ audiuntur, quæq; cæteris capiuntur sensibus corporis, vel appetunt animalia delectata, & assumunt, vel offensa devitant & respiciunt. Hic autem nec visu nec auditu, nec olfactu, nec gustu, nec tactu dici potest, sed necis quid aliud, quod omnibus communiter præsidet. Quod cum ratione comprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possumus, quoniam & bestiæ inesse manifestum est. Ex qua authoritate pro conclusione hæc ratio optime formari potest; quod percipit operationes sensuum exteriorum sensus est, sed non externus, quia hic suas operationes non percipit, nam oculus non sentit se videre, non auris sentit se audire, ergo est aliquis alius internus, ergo datur sensus communis internus: minor autem jam probata est supra eo quod objecta sensuum exteriorum externa accidentia sint non interna, ergo.

III.
Authoritas D. Bernardi.

Probatur secundò: Ex D. Bernardo serm. 51. in Cant. ubi ait: Carentia ratione animalia nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita & libertate carent, sensu aguntur NB. feruntur im-

petu, rapiuntur appetitu, neq; enim iudicium habent quo se dijudicent, sive regant, sed nec instrumentum quidem iudicii, id est rationem, inde est quod non iudicantur, quia non iudicant, quamquam quæperant ab his exigatur ratio quam non acceperunt? Sed animalium sensus quo aguntur, non est aliquis exterior, ergo erit aliquis interior. Probatur sensus sumptum, tum quia animalia aguntur in ea quorum non habent sensum externum, et dum currunt ad loca ubi aliquando bona repererunt; tum quia ex contextu ipsius mollium Doctoris sensus, quo bruta aguntur est ille, qui correspondet appetitui de quo dicit, *appetit appetitui*, sed ille sensus qui appetitui correspondet est internus & communis aliquis, ergo talis datur.

Probatur Conclusio ratione

primò: Quia bruta recordantur objecta præteritorum, sed hoc non faciunt per sensum externum, quia hi solum percipere possunt objecta præsentia, ut certum est, ergo habent alium quem sensum internum per quem ista percipiunt: probatur major, quia canes recordantur locorum, ubi commoda perceperunt, nec ubi pullos suos reliquerunt & catulos, aves nidiorum, apes alvearium, equi vitam, per quas transierunt, imò asini ita tabernarum, & hospitiorum ubi ordinariè refecti soliti fuerunt tam fortes impressas species habent, ut eo perenniant, nec fustibus abigi velint vel possint et experiuntur ii qui in Italia peregrinantur per summaros. Et communes circumvolant histórias de fidelitate canum, quod nonnulli domitorum suorum ita meminerint, ut frequenter supra defunctorum tumulos se conferret ac ullulatu & ejulatu dolorem testati fuerint, & planè sese inedia conferret, sed tales & similes operationes non proveniunt à sensibus externis, ergo interno aliquo & consequenter dari talem ex hoc ipso convincitur.

Probatur ratione secundò:

Canes & alia animalia possunt ad se invicem plura comparare, sed hoc non præstant per sensum externum, ergo per internum: probatur major, quia canes quando ipsi portiguntur carnes vehementer calidæ, licet ex his lapidibus ab iis tamen abstinent tanquam à nocivis & seditatis lævis, quæ tamen comparatio non potest fieri à sensu aliquo externo, ergo ab interno: quod autem non possit fieri à sensu interno patet, quia non gustu, qui hic non percipit nisi saporem, non etiam à tactu, quia hic solum percipit calorem applicatum, ergo. Confirmatur primò: